

ambæ autem vires communi nomine *centrales* vocantur. Igitur lineola BC exprimet vim centralem. Jam vero in circulo ducta chorda infinitesima AC, erit ob triangulorum ACD, ACM similitudinem AM vel $BC : AC = AC : AD$, ac proinde AM vel AC^2

$BC = \frac{AC^2}{AD}$; hoc est vis centralis in circu-

lo est ut quadratum chordæ divisum per diametrum; quia autem arcus infinitesimus illiusque chorda æquipollent, loco chordæ substituere licet ipsum arcum, ideoque vis centralis est ut quadratum arcus divisum per diametrum, vel per radium; cum enim virium centralium rationem duntaxat hæc formula exprimat, perinde est siue diametrum siue semidiametrum, adhibeamus. Porro vis centralis nomen retinet attractio, etiamsi vis illa ad unicum punctum non dirigatur; singulis temporibus directionem mutare potest; ut enim mobile curvam describat satis est vis centralis directionem non congruere cum ipsa directione tangentis, quod quidem evidens est ex articulo præcedenti. His præmissis in proximo articulo fasus explicandis, fit

C O N C L U S I O .

Uniuersalem inter corpora omnia attractionem demonstrant phænomena.

I. Circa solem revolvi observantur stellæ quinque, *planeta* siue *erraticæ* ideo appellatæ. Harum nomina sunt: *Mercurius, Venus, Mars,*